



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Sectio VI. Utrùm, & quomodò Visiones Beatæ inter se specie distinguantur
?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

creaturas; sed hoc fit per discursum, saltem virtualem; ergo &c. Secundò quia in Visione beata possumus distinguere per nostros conceptus duas cognitiones, seu potius duas virtualitates, alteram tendentem in Immutabilitatem Dei, alteram in Æternitatem ex vi Immutabilitatis, in quo non potest non dari ratio discursus, saltem virtualis.

121. Confirmatur primò, quia Visio beata utitur signis instrumentalibus, ut diximus in Log. tr. 3. d. 4. num. 37. sed usus istorum signorum ordinariò fit per discursum, saltem virtualem, ut diximus ibid. d. 2. n. 49 ergo &c. Secundò, quia Visio beata, licet sit perfecta participatio Cognitionis Divinæ, est illà imperfectior; sed Cognitionis Divinæ, utpotè perfectissima, neque virtualiter est discursiva, ut diximus in Log. tr. 5. d. 4. n. 190. ergo Visio beata, utpotè imperfectior, erit saltem virtualiter discursiva. Argumenta quæ adduci possunt contra hanc & præcedentem conclusionem, vide in Log. tr. 5. n. 136. & n. 147.

122. Difficultas 2. Utrum Visio beata evidentior sit, & certior quavis alià cognitione creatà? Advertes primò, certitudinem aliàm esse formalem, & aliàm objectivā: Formalis propriè accepta est, ut definit D. Thom. in 3. dist. 26. q. 2. a. 4. *Firmitas adhesionis potentie in suum cognoscibile*. Certitudo objectiva, à quā oritur formalis, est infallibilitas objecti, quod ita necessarium representatur potentie, ut aliter se habere non possit. Secundò certitudinem objectivam non impendere cognitioni certitudinem formalem, nisi prout intentionaliter illi applicatur. Unde potest objectum in se infallibile fallibiliter applicari cognitioni, ita ut opinionibus, & erroribus subiciatur. His positis.

Dico primò, Visio beata evidentior est quavis alià cognitione creatà, etiam cognitione primi principii. Ita P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 18. n. 2. ad finem. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 3. sect. 6. n. 22, ubi id probat ex quibusdam locis D. August. *Ægid. lib. 11. de Beatit. q. 5. a. 3. §. 7. n. 26. Caesar. lib. 6. de Verit. q. 29. n. 5. Ribas tr. 3. d. 3. cap. 5. n. 50. & alii*. Probatur primò autoritate D. August. lib. 15. de Civit. cap. 29. ubi asserit Beatos singulas Personas, & unum Deum ita nosse, ut magis ista sint nota, quàm nos ipsi nobis cogniti sumus.

124. Probatur secundò ratione, quia Visio beata procedit à lumine altioris ordinis, & multò majoris perfectionis, quàm est illud, à quo procedunt scientiæ, & prima principia increatis; siquidem procedit à lumine gloriæ, tenditque in objectum habens veritatem unam, simplicissimam, & clarissimam respectu talis luminis; ergo est evidentior qualibet cognitione, etiam primi principii in creatis. Confirmatur, quia ex communi sententià evidentia cognitionis sumitur tum ex parte potentie, & est manifestatio veritatis: tum ex parte objecti, & est proprii objecti claritas, & perspicuitas; sed hæc in Visione beata superant quamlibet evidentiam creatam, ut ex assumptis constat; ergo &c.

125. Dices: Evidentia, & claritas primi principii dici solet summa; ergo evidentia Visionis beate non est illà major; alioqui jam non esset summa. Resp. evidentiam primi principii solum dici summam in ordine ad lumen naturale; nam si prima principia cognoscantur per nobilius lumen, sive sit supernaturale, sive etiam naturale Angelicum, adhuc evidentius poterunt penetrari.

126. Dico 2. Visio beata est certior quilibet certitudine scientiæ creatæ. Ita Durand. in 3. dist. 23. q. 7. n. 10. P. Soar. cit. *Ægid. cit. n. 30. & alii*. Probatur, quia quando cognitio objecti est evidens, ex illius

evidentia desumitur ejus certitudo, ut constat ex Philosophia; siquidem quod objecti veritas est evidentior, eò magis infallibilem generat assensum, in quo certitudo cognitionis constituitur; sed Visio beata evidentissime ostendit veritatem summè necessariam objecti primarii, & objecta secundaria per veritatem summè necessariam cum maximà evidentia cognitam; ergo certior est quilibet scientiæ creatæ. Confirmatur, quia certitudo Visionis beate sumitur ex rationibus primis, & æternis clarissime cognitis in Deo: certitudo autem scientiæ creatæ desumitur ex habitudine, vel connexionem extremorum participata ab ipsis rationibus æternis; ergo illa absolute major est.

Difficultas 3. Utrum certitudo Visionis beate sit major certitudine fidei? Affirmativè. Probatur, quia licet hujusmodi cognitiones sint omnino æquales ex parte objecti, & ejusdem infallibilitatis; siquidem utraque in prima veritate nititur; certitudo tamen Visionis beate includit quiddam importat certitudo fidei, & multò plura: primò necessitat intellectum, excludendo ab illo omnem prorsus dubitationis umbram. Secundò procedit ex lumine supernaturali non obscuro, sicque nobiliori: Tertiò fundatur in prima veritate, non loquente, sed in se manifestante totam suæ infallibilitatis necessitatem, in quā fundatur certitudo fidei: Quartò habet se ut certitudo subalternans ad subalternatam; siquidem ostendit originem, unde Fides suam accipiat certitudinem; ergo negari non potest certitudinem Visionis beate esse majorem certitudine fidei; imò & certitudine scientiæ per se infusæ Christi Domini, & cujuslibet alterius scientiæ non beatificæ.

SECTIO VI.

Utrum, & quomodo Visiones Beate inter se specie distinguantur?

128. DIFFICULTAS 1. Utrum Visiones Beate hominis v.g. & Angeli de facto, aut saltem de possibili, specie distinguantur ex diversitate essentiali potentiarum, à quibus eliciuntur? Negativè. Ita Durand. in 3. dist. 14. q. 1. n. 8. *Marfil. q. 10. a. 2. Mayron. in 2. dist. 3. q. 1. Sor. in 4. dist. 49. q. 3. a. 2. §. His non obstantibus, P. Mol. 1. p. q. 12. art. 6. d. 5. Zúmel. Pesant. ibid. P. Vasq. d. 47. cap. 5. §. Respondet, P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 19. conclus. 1. P. Valent. 1. 2. q. 5. d. 1. pun. 3. sine. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 3. sect. 9. P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 8. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 281. P. Becan. tr. 1. q. 8. cap. 9. P. Fasol. 1. p. q. 12. art. 6. dub. 2. & alii.*

Probatur 1. pars primò, quia diversitas specifica actuum dignosci nequit ex diversitate essentiali potentiarum, à quibus eliciuntur, nisi quando potentia illos producant secundum earum rationem specificam completam & adæquatam, non autem secundum genericam, incompletam, & inadæquatam; siquidem actus secundum suam rationem adæquatam acceptus, est quædam proprietas, seu quasi proprietas potentia, à qua egreditur; proprietas autem subiectum, seu naturam, cujus est proprietas respicit, & ab eadem specificatur, non secundum rationem genericam, sed secundum solam specificam; atqui potentia hominis & Angeli secundum se acceptæ Visiones beatas producant secundum quod in ratione potentiarum habent incompletum, inadæquatam, & genericum, nempe

nempe intellectricium; siquidem per lumen gloriæ, vel auxilium constituuntur in ratione specifica, completa & adæquata potentiarum potentium producere, ut patet ex supra dictis; ergo istorum actuum diversitas potius sumenda est ex prædictis potentiis, ut sunt illustrata lumine gloriæ, vel auxilio, quam secundum quod sunt potentia hominis, & Angeli diversæ in sua entitate propria; sed prout sic jam non sub diversa specie, sed sub eadem constituuntur; siquidem lumen & auxilium sub eadem specie collocantur, ut infra dicemus; ergo &c.

130. Probatur secundum ex absurdo, quia si Visiones beatæ sumerent distinctionem essentialiter à potentiis essentialiter diversis, sequeretur: Primum quolibet Angelum, etiam infimum habere Visionem beatam essentialiter perfectiorem visione omnium hominum; Secundum habere Visionem perfectiorem Visione beatâ Beatissimæ Virginis, imò & Christi Domini; sed primum non est dicendum; siquidem ex D. Thom. infra q. 108. a. 8. & lib. 3. contr. gent. cap. 57. sententia dicens, homines non posse pervenire ad æqualitatem gloriæ Angelorum, vocatur erronea. Et in 2. dist. 9. q. 1. a. 8. dixerat, esse contrariam dictis Sanctorum, & videri sapere hæresim; Secundum autem est contra communem sensum Ecclesiæ canentis: *Exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad celestia regna.* Et utrumque videtur esse contra illud Luc. 20. *Filii resurrectionis, & Filii Dei, aequales Angelis sunt in alio saculo.* Et Apoc. 21. *Mensura hominis, quæ est & Angeli.*

131. Dicent primum, visionem hominis posse adeo crescere, ut æqualeat visioni Angelicæ, eamque superet: sicut si argentum argento addatur, excedatur in valore, ac pretio parum auri. Sed contra, quia hic excessus in argento est moralis, quoad usum hujus virgæ; non physicus, quoad intrinsicam rei naturam; alioqui ipsemet intellectus humanus fieri posset perfectior, & perfectior, ita ut æquaret, & superaret Angelicum, quod non est dicendum.

132. Dicent secundum, non necesse esse, ut quod est perfectius in ratione visionis, sit etiam perfectius in ratione beatitudinis; sicque Angelum posse habere perfectiorem visionem, quam animam Christi Domini in ratione Visionis, non tamen in ratione beatitudinis. Sed contra, quia Anima Christi Domini superat omnes Angelos non solum in ratione beatitudinis, sed etiam visionis & scientiæ, ut tanquam certum probatur in 3. part. quest. 10. ex illo ad Ephes. 1. ibi: *Constituens illum in celestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, &c.* Et ad Colos. 2. ibi: *In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi.*

133. Probatur secunda pars negans etiam de possibili discrimen specificum inter Visiones beatas desumendum ex potentiis essentialiter diversis: quia diversitas actuum solum potest desumi à potentiis secundum rationem specificam, completam, & adæquatam earum, ut diximus; sed quæcumque potentia à Deo producibilis in ordine ad Visionem beatam solum concurreret secundum rationem genericam, incompletam, & inadæquatam; siquidem omnis completeretur per lumen gloriæ, vel auxilium supernaturale ad productionem talis visionis, ut patet ex supra dictis, quod quidem lumen, vel auxilium esset ejusdem speciei in omnibus; ergo neque de possibili dari potest distinctio specifica in visionibus desumpta ex diversitate essentiali potentiarum.

Tom. 1.

Oppositum tenet Major. in 1. dist. 1. q. 14. ad 5. & in 4. dist. 49. q. 11. art. 16. & inclinare videtur Paludan. in 4. dist. 49. q. 5. art. 1. & re ipsa placuit Scot. in 2. dist. 1. q. 6. a. 8. Contra. & in Reportat. in 3. dist. 13. q. 3. §. Ad 3. quest. ubi ad hoc, ut probet, Visiones beatificas specie non distingui, defendit, intellectus Angeli, & hominis esse ejusdem speciei; ergo manifeste supponit, si essentialiter differant, etiam sic distinguendas esse eorum Visiones. Et ex eodem capite, saltem de possibili hoc idem sequitur Lycher. in 3. dist. 14. q. 1. §. Dico duo; pro quibus:

Argues 1. Potentiæ essentialiter diversæ respiciunt actus, & objecta essentialiter diversa, utpotè quæ ab illis distinctionem specificam sumunt; sed intellectus Angeli, & hominis sunt potentiæ essentialiter diversæ; sicut enim Angelus, & homo, ita & eorum proprietates, quales sunt eorum intellectus, specie differunt; ergo Visiones beatæ, sive actus talium potentiarum, etiam specie distinguuntur. Respondeo majorem esse veram de potentiis respicientibus actus naturales, & objecta naturalia; siquidem illa respiciunt adæquate, & completè secundum totam suam rationem & genericam, & specificam: aliter verò de potentiis respicientibus actus supernaturales, quales sunt Visiones beatæ, & objectum supernaturale, qualis est Deus, ut constat ex dictis.

Argues 2. Hujusmodi potentiæ concurrunt ad Visiones Dei eliciendas per virtutem, seu vitalitatem, non merè obedientialem, sed sibi intrinsicam naturalem, quam essentialiter communicant suis actibus, prout supra diximus; sed vitalitates harum potentiarum specie distinguuntur, sicut & ipsæ potentiæ; ergo sic etiam distinguuntur earum actus, seu Visiones. Respondeo potentias istas concurrere quidem ad Visiones Dei per virtutem sibi naturalem, saltem inchoatam, prout supra diximus, & suis actibus communicare vitalitates specie diversas, inficior tamen eisdem similiter communicare diversitatem specificam. Et hujus ratio est, quia diversitas specifica actus non desumitur ex gradu potentiæ generico, sed specifico, qui in proposito eventu confertur à solo lumine, vel auxilio ejusdem speciei infimæ, ut diximus.

Argues 3. Si potentia visiva hominis, & bruti specie distinguerentur, licet idem objectum sub eodem lumine, & per eandem species perciperent, illarum tamen visiones specie distinguerentur, ob solam diversitatem potentiarum; ergo licet lumen, species, aut forma intelligibilis sint eadem respectu ejusdem objecti beatifici, Visiones tamen erunt specie diversæ, quia specie diversæ sunt potentiæ hominis, & Angeli. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia potentiæ illæ visivæ concurrerent ad suos actus naturales per virtutem sibi intrinsicam completam & adæquatam; sicque cum hæc esset in illis specie diversa, sicut & ipsæ potentiæ, necessariò producerent actus specie diversos: at verò in re de qua agimus, longè aliter contingeret, ut diximus.

Difficultas 2. Utrum Visiones Beatæ defacto, aut saltem de possibili distinguantur specie ex diversa terminatione ad diversas rationes objectivas objecti primarii? Negativè. Ita quoad primam partem tenent Zamel. 1. p. q. 12. art. 6. q. ult. §. 11. Pesant. ibid. d. 2. conclus. 1. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 9. a. n. 7. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 9. n. 36. ad 2. & 3. estque de mente omnium asserentium, Visiones Beatas specie non distingui. Quoad secundam partem de possibili defendunt Paludan.

M

in 4.

in 4. dist. 49. q. 3. art. 1. P. Gil. cit. lib. 8. cap. 9. tr. 8. à n. 11. & possunt etiam citari Caiet. 3. p. q. 10. a. 10. Cabrer. ibid. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 19. conclus. 2. & tom. 1. in 3. d. 26. in prafat. §. 1. Dico 4. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 9. n. 38. cum aliis ex antiquis, quatenus docent, neque de potentia absoluta dari posse Visiones Beatas specie distinctas.

139. Probatur prima pars, quia quælibet Visio Beata, five hominis, five Angeli de facto clarè, & distinctè percipiunt omnia Attributa, & perfectiones primarias in Deo, solumquæ differunt in eo, quod una clarè, & distinctè penetret aliquas perfectiones secundarias, quas non ita clarè & distinctè attingit alia, licet omnes omnino videat per modum unius, ut infra dicemus; sed hoc non arguit in illis discrimen essentialiter; ergo omnes in ordine ad objectum primarium continentur de facto sub eadem specie.

140. Probatur minor, in qua est difficultas, quia quando plures cognitiones attingunt objectum omnino idem, per idem lumen, & eandem speciem, non distinguuntur specie, licet aliqua magis, & distinctius, alia verò minus distinctè objectum illud cogoscant, ut patet in pluribus visionibus ejusdem patetis, quæ omnes sunt ejusdem speciei, licet alia in objecto propinquiori plures partes distinguat, alia verò pauciores propter objecti distantiam; siquidem omnes attingunt idem objectum, licet alia plures partes, alia autem pauciores distinguat, quod solum efficit discrimen accidentale; ergo licet aliqua Visiones Beata in objecto beatifico plures partes, five perfectiones secundarias distinguant, alia verò pauciores, solum accidentaliter, non verò essentialiter distinguuntur, utpote quæ omnes idem objectum primarium attingunt, & solum differunt per majorem, aut minorem distinctionem, & claritatem, quæ solum arguunt discrimen accidentale.

141. Probatur secunda pars, quia quando plures cognitiones idem omnino objectum percipiunt secundum omnes partes, quas essentialiter includit, impossibile est, quod ab eodem accipiant diversitatem specificam, licet una partes illas aut quoad omnia, aut quoad aliqua clariùs, & distinctius percipiat, quam alia; siquidem non datur caput, ex quo talem diversitatem sumant; sed Visiones Beata, etiam possibiles, cum necessariò sint intuitivæ Dei, omnes illius perfectiones attingunt per modum unius, licet alia aliis clariùs, & distinctius ex diversitate luminis, applicationis Essentialis divinæ, aut concursus divini, prout infra latius explicabimus; ergo &c.

142. Confirmatur, quia impossibile est, quod plures cognitiones naturales intuitivè attingentes idem objectum creatum distinguantur specie inter se ex eo, quod una distinctius, quam alia partes illius penetret, dummodò utraq; omnes illas attingat per modum unius, ut supponimus; ergo id ipsum erit impossibile in Visionibus Beatis supernaturalibus terminatis ad idem objectum beatificum.

143. Oppositum, saltem de possibili defendunt Bassol. in 1. dist. 1. q. 1. art. 3. §. Sed non video. Paludan. in 4. dist. 49. q. 3. art. 1. & probabile indicant Agid. lib. 5. de Beatit. q. 14. art. 7. §. 3. n. 41. & tom. 2. lib. 11. q. 5. art. 3. §. 15. n. 90. Navarret. tom. 1. Contröv. 39. §. 2. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 9. n. 11. & 14. asserentes, Visiones Beatas, saltem de possibili specie distinguuntur ex diversa terminatione ad objectum primarium, qui est ipse Deus visus secundum has, vel illas perfectiones essentialiter diversas: pro quibus:

Obijcies 1. De potentia absoluta fieri potest, ut per unam visionem Angeli, vel hominis videantur quædam perfectiones five primariæ, five secundariæ, quæ non videantur per aliam: ut videatur Essentialia sine Personis: & ut videatur una, aut plures Personæ, quæ non videantur per aliam visionem, ut infra dicemus; sed hujusmodi visiones necessariò erunt specie diversæ; siquidem respicerent transcendentaliter objecta essentialiter diversa, à quibus specificarentur, & distinguerentur; ergo &c. Respondeo majorem esse falsam, si velit, ut divinitus fieri possit, ut per aliquam visionem videatur in Deo una perfectio, aut Essentialia, aut una Persona, quin aliquo modo videatur alia, de quo infra: Veram autem si intendat fieri posse, ut per unam visionem videatur una perfectio clarè, & distinctè (sicque de aliis adductis,) quin ita videatur per aliam; in quo tamen sensu negamus minorem, & ejus probationem; tunc enim tales cognitiones non terminantur ad objecta essentialiter, sed accidentaliter diversa, prout patet ex supra dictis.

Obijcies 2. Si eadem natura hominis cognoscatur per diversas cognitiones, quarum una attingat hominem, ut animal, alia ut rationalis est, tales cognitiones erunt essentialiter diversæ: ergo sic etiam distinguantur specie plures visiones, si attingant diversas perfectiones in Deo. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia cognitiones illæ hominis, cum sint abstractivæ, & præcisivæ, ita per unam attingitur unus gradus, ut alius non attingatur, sicque habent objecta essentialiter diversa, & ideo ipsæ cognitiones sunt etiam specie diversæ: at verò Visiones Beata, cum sint intuitivæ, & quidditivæ Dei, non possunt non attingere omnem illius quidditatem, sicque omnes illius perfectiones, saltem confusè, ac proinde omnes habent idem objectum beatificum, ideoque specie non distinguuntur. Si tamen omnes gradus hominis per modum unius perciperentur, tunc eodem modo philosophandum esset de illis cognitionibus hominis, atque de visionibus Dei.

Obijcies 3. Quando objecta sunt essentialiter diversa, etiam cognitiones specie differunt; sed objecta primaria illarum visionum sunt essentialiter diversa; sic enim differunt in Deo perfectiones absolutæ, & relativæ; ergo sic etiam specie differunt visiones. Respondeo negando minorem, (dato quod perfectiones relativæ pertineant ad rationem objecti primarii, de quo infra,) nam unum, & idem est objectum primarium illarum visionum, nempe Deus secundum omnes suas perfectiones, licet magis, aut minus distinctè cognitas.

Obijcies 4. Si foret possibilis Visio Dei comprehensiva creata, hæc à cæteris non comprehensivis specie distingueretur; sed non ex alio capite, nisi quia per illam attingerentur plures, imò omnes perfectiones primariæ, quæ tamen per alias visiones inadæquatas de facto non attingerentur; ergo Visiones Beata possunt specie distinguuntur ex diversa terminatione ad objectum primarium. Respondeo negando majorem: Cognitio enim comprehensiva creata (dato, quod foret possibilis, de quo infra,) in eo ab aliis non comprehensivis distingueretur, quod illa, non verò alia, distingueret omnes perfectiones Dei, sicque illas tantum excederet in intensione, aut extensione, ac proinde intra eandem speciem. Patet, quia si daretur quantitas infinitè extensa, aut qualitas infinitè intensa, adhuc essent ejusdem speciei cum aliis quantitibus,

tibus, & qualitatibus finitis in extensione, & intensione.

148. Obijcies 5. Cognitiones, quibus in via Deum cognoscimus secundum has, aut illas perfectiones essentialiter diversas, sunt etiam essentialiter diversae; ergo etiam sic erunt Cognitiones, sive visiones in patria. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est; quia cognitiones, quibus Deum in via cognoscimus, cum sint abstractivae, non attingunt Deum secundum omnes suas perfectiones per modum unius: at verò Visiones Beatae, quolibet, utpotè intuitiva, & quidditativa Dei, attingit totum Deum per modum unius objecti secundum omnes perfectiones, sive magis, sive minus distinctè.

SECTIO VII.

Aliæ difficultates circa distinctionem Specificam Visionum Beatarum resolvuntur.

149. **D**IFFICULTAS 3. Utrum Visiones Beatae de facto, aut saltem de possibili specie distinguantur ex diversa terminatione ad objectum secundarium? Negativè. Undè visio, quæ solus Deus videretur, specie non differret ab ea, quæ simul cum creaturis videretur: Neque illa, quæ videretur simul cum certis creaturis, specie differret ab ea, quæ videretur simul cum aliis creaturis specie diversis. Quoad primam partem traditur à Zúmel. 1. p. q. 12. art. 6. d. ult. §. 10. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 6. d. 5. ad 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 19. n. 12. ad 2. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 9. num. 26. ad 2. & 3. & est aliorum communis. Quoad secundam verò partem est etiam eorundem Doctorum, & P. Recupit. lib. 6. cap. 5. num. 55.

150. Probatur prima pars, quia distinctio specifica scientiarum non desumitur ab objecto materiali, sed formali; atqui in visionibus objectum formale est objectum primum, materiale verò est secundarium, quæ sunt creaturæ; ergo à solo primario, nempe Deo clarè viso desumi debet objectiva distinctio visionum; ac proinde sive diversæ, sive nulla creatura in Deo videatur, semper visiones manebunt intra eandem speciem. Confirmatur, quia visio attingens creaturas in Deo procedit à potentia illustrata eodem lumine, & determinata per eandem speciem, nititurque eadem veritate; sicut procedit, determinatur, & nititur illa, quæ nullam, aut plures creaturas diversas attingit; siquidem nulla creatura attingitur propter se, & propter connexionem suorum terminorum; ergo creaturæ non præstant visionibus discrimen essentialè.

151. Probatur secunda pars, quia quolibet Dei Visio, etiam possibilis, in ordine ad quilibet creaturas existentes, aut possibiles, eo ipso, quod beatifica est, debet procedere à potentia illustrata eodem lumine, determinatà per eandem speciem, & niti eadem veritate clarè cognitâ; ergo necessario participabit idem objectum formale, à quo in scientiis accipi solet distinctio; consequenterque manebit sub eadem specie cum aliis visionibus de facto.

152. Oppositum tenent Adam. in 2. dist. 1. q. 8. a. 2. Major in 4. dist. 49. q. 10. & q. 12. ad 2. Almayn. in 3. dist. 14. q. unica. art. 1. Greg. in 2. dist. 7. q. 2. Tom. 1.

art. 1. ad 1. P. Herice tract. 4. d. 49. cap. 3. num. 30. & probabilem dicit hanc sententiam Paludan. in 4. dist. 49. q. 5. pro quibus: Argues 1. Visiones specie distinguuntur, quoties ad objecta specie diversa terminantur; siquidem specie ab alio differt, quod caret aliquo prædicato essentiali illius; visiones autem, cum sint essentialiter repræsentativæ, dicunt essentialem ordinem ad quicquid repræsentatur, & aliæ repræsentant aliquid essentialiter diversum, nam Deus solus, & Deus cum creaturis est quid essentialiter diversum; ergo &c. Respondeo antecedens esse verum, si objecta formalia sint specie diversa; non autem sola materialia; nam ad distinguendas cognitiones essentialiter, solum attenditur diversitas objecti formalis, & non materialis, ut supra diximus, & patet in actibus Fidei Divinæ: creatura autem addita Deo in ordine ad visionem, solum se habet materialiter, & ita se habet ejus repræsentatio in visione.

Argues 2. Si daretur potentia cognoscitiva simul, & appetitiva, differret specie à sola cognoscitiva; ergo sic distinguatur Visio Dei simul, & creaturarum à visione solius Dei. Respondeo admissâ suppositione (fortasse impossibili ob connexionem impossibilem duplicis illius rationis formalis, ut constat ex alibi dictis) concessio antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia in illa potentia sic coalescente ex cognoscitivo, & appetitivo daretur diversum objectum formale ab objecto potentiae solum cognoscitivæ, ut patet: non ita verò in visionibus, ut diximus.

Argues 3. Si darentur tres visiones trium Personarum divinarum, quarum quolibet unam tantum Personam attingeret, essent diversæ speciei ob diversas repræsentationes; ergo sic distinguuntur visiones terminatæ ad diversas creaturas. Respondeo admissâ suppositione, de qua alibi, distinguendo antecedens: essent diversæ speciei, si Personæ viderentur seorsim sub peculiari intelligibilitate, non gerente Essentiâ divinâ rationem speciei; concedo antecedens: si viderentur sub intelligibilitate ipsius Essentiæ gerentis vicem speciei respectu uniuscujusque Personæ; nego antecedens: in primo enim eventu daretur multiplex objectum formale; in secundo autem daretur unicum tantum.

Argues 4. Minus differunt inter se duæ visiones Dei terminatæ v.g. ad easdem duas creaturas, quàm terminatæ ad plures, vel pauciores; sed illæ differunt numero; ergo hæc differunt specie. Respondeo negando consequentiam: nam intra latitudinem differentie individualis dari solet major, & minor differentia, præsertim in illis, quæ dicunt ordinem ad extrinsecum, ut dicunt visiones, siquæ hæc possunt magis differre, quàm illæ, & tamen omnes solum numero.

Difficultas 4. Utrum Visiones Beatae specie distinguantur ex diversitate principii supernaturalis ex parte potentiae? Negativè; idque sive sermo sit de principio supernaturali actuali, sive etiam de possibili. Prima pars est expressa D. Thom. quest. 9. de Verit. art. 1. ad 17. Caiet. 3. p. q. 16. art. 4. Zúmel. 1. p. q. 12. art. 6. ad ult. §. 1. P. Mol. ibid. d. 5. §. Contrariam. Secunda pars traditur à Caiet. cit. Cabr. 3. part. q. 10. d. 4. art. 4. Machin. 1. p. quest. 12. art. 6. d. 17. sect. 2. §. Dicendum est. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 9. num. 10. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 19. num. 10. & probabilem dicit Zúmel. cit.

M 2

Probatur